

tequam constet, creditorem solutionem factam ratam non habiturum. *l. 58. princ. ff. de solut.* Illud singulare est, quod debitor creditoris sui creditori etiam sine mandato debitum solvere possit, ita ut ipse, licet sui creditoris rati habitio non accedat, non quidem ipso jure, ope tamen exceptionis liberetur. *l. 6. ff. de except.*

*Thesis XVII.*  
 Quod de negotiorum gestore dictum, illud etiam verum est & procedit in Procuratore, cujus mandatum est revocatum, ita ut, si debitor post mandati revocationem, hoc sciens, ipsi debitum solverit, obligatio ejus nullo modo solvatur. *l. 12. §. 2. l. 106. ff. de solut.* Si vero debitor mandatum revocatum esse ignoraverit, & illi, quem adhuc creditoris sui procuratorem esse credidit, bona fide solverit, ex æquitate liberatur; *d. l. 12. §. 2. §. 10. Inst. mand. l. 38. §. 1. ff. de solut.* nisi procurator ille, cujus mandatum est revocatum, furandi animo acceperit; tunc enim pecunia manet debitoris, nec ipsi liberatio ipso jure contingit: si tamen paratus sit conditionem furtivam sibi contra falsum illum procuratorem competentem creditori præstare, ex æquo illi exceptione succurritur. *l. 38. §. 1. ff. de solut.* Quod de mandato Procuratoris revocato dictum, illud etiam verum est, si id morte vel alio modo fuerit extinctum. *l. 32. ff. de solut.*

*Thesis XVIII.*

Ut autem creditor solutum recipere, vel hoc alteri mandare, aut ratum habere possit, secundo requiritur, ut ipse liberam habeat rerum suarum administrationem. Licet enim creditor solutum accipiens illud acquirat: quia tamen ipse simul etiam obligationem & actionem sibi contra debitorem competentem remittere debet, proinde in ipso quoque requiritur alienandi potestas. *l. 15. ff. de solut. §. ult. Inst. quib. alien. lic. vel non.* Hinc pupillo sine tutoris autoritate non recte solvitur. *d. l. 15. princ. d. §. 2. Inst.* Quod si tamen debitor pupillo sine tutore solverit, & pupillus pecuniam salvam habeat, aut ex ea locupletior factus sit, potest debitor eundem, debitum iterum petentem, per exceptionem doli submovere. *d. §. ult. Inst. quib. alien. lic. vel non. l. 15. l. 47. l. 66. ff.*

66. ff.